


PIO QVARTO PONTIFICI MAXIMO

Marianus Victorius Reatinus.



VOT quantaue sint beatissime Pater, ac semper fuerint aduersus catholicam Ecclesiam hereticorum cōmenta; & quibus artibus, uasfrutisq; eam destruere conati illi sint, explicari non potest. Ex his autem nulla magis noxia impetio unquam fuit, quam cum sub domesticorum, & orthodoxorum nomine illi in eam irruerunt; quippe cum nulla maior pestis, ut uulgato prouerbio dicitur, sit, quam familiaris inimicus. Huius generis Erasmus Rhoterodamus fuit, qui catholici hominis partes professus, antidoti nomine uenenum fudit: & altera manu panem ostendens, altera lapidem iecit. Licuit autem ei tanto magis hoc facere, quod nec eloquentia satis suo proposito accommoda, nec doctrina mundo saltem, si non eruditis conspicua, illi defuit: praesertim cum catholicis fidei nostrae proceribus tamquam interpres, & emendator sese anser inter olores, immiscuit. Quae res eum & celebratissimum, & multi nominis hominem reddidit. Hareses eius multis in locis a nobis detectas, etiam alij ante nos agnouerunt, adeoq; oppugnaverunt, ut iam e catholicorum albo eiectus exulet. Quantum autem in restituendo ueteres Ecclesiae patres peccauerit; quantumq; circa eorum sensus aberrauerit; & quam mendax in historiis, ac rebus aliis recensendis fuerit; primi, ut credimus, nos in praesentiarum ostendimus. Ex his enim tribus D. Hieronymi tomis, quae pars eius operum praestantissima est, quos modo correctos edimus, luce clarius uniuerso orbi patebit imperitia pariter & incuria eius, una cum impietate quadam, & odio aduersus Ecclesiam copulata; adeoq; patebit, ut ex hoc uno opere, quid in ceteris ille fecerit, cognoscere omnes facile deinde possint: praesertim, cum iam, ut sibi uidebatur, doctus, & aetate matura in eo laborauerit, omneq; ingenij acumen, & sedulitatis operam, ut ipse se iactat, & in emendando, & interpretando adhibuerit. Restituimus enim in hoc opere loca, ut ex ipsis iunctis nostris scholiis apparebit, plus minus mille, & quingenta, quae partim sua manu maculauit, partim tempore corrupta, ex rerum imperitia restituere ipse non potuit. Ex scholiis autem eius tot errores, & ignorantias confutauimus, ut adhuc etiam mirari non desinamus, unde cum tanta imperitia tantum illi usque adeo fuerit nomen. Adiuti autem sumus hac in re exemplaribus manuscriptis uiginti, & antea impressis aliquot, quae Florentiae, Brixiaeq; monachi Cassinenses, & Neapoli Bononiaq; Dominicani inuicem multo labore cum Erasmiianis codicibus contulerunt. nec defuerunt etiam ij, qui in locupletissima Sanctitatis tuae Vaticana bibliotheca asseruantur. Variis autem tot exemplarium lectionibus adhibentes deinde iudicium, non passim omnia, sed ea tantum nos selegimus, quae uel ex ipsa sententia, & dicendi ordine, uel ex cognitione rerum ita esse legenda clare nobis apparuit.